Quelle: https://manuscripta.at/?ID=60
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

recipiendam hore professionis conventum adhortetur
et in virtute obedientie precipiat ut secundum deum ac pure
infra unius mensis spatium dicte professionis faciende
et recipiende suum prestet assensum ita ut circa premissa
receptionem per prelatum nulla fraus sive dolus interveniat et
si receptionem huiusmodi non duxit professionis receptio
ea vice pertineat ad prelatum. In casu autem huiusmodi devo
lucionis prelatus faciende receptionis huiusmodi cum consilio se
niorum huius collegii eligendorum per ipsum prelatum terciam
partem collegii ad minus constituentium de personis predictis
libera habere censeatur facultate. Summopere tamen caven
dum est prelatis ne in congregatione sibi commissa vel plures
admittat quam ecclesie facultas sustentare possit vel eos quos
sufficere potest avaricie vel tenacitatis vel alia sinistra causa
derelinquat proviso si fieri poterit ut in locis minus
communis nimio pauci sed tamen virtute et merito prestantes ad
mittantur et quod ibidem paucitas fratrum denegat am
c 4 plitudo sancte suppleat et meritorum. De ordine
et modo faciende professionis Capitulum Quartum
Quando vestiendus est Novicius primum ducatur ante
Summum altare ubi prelatus benedicat ei vestes religio
sas quibus induendus est in hunc modum. Collecta di
catur Domine Ihesu Christe qui tegmen nostre mortalitatis etc. Alia
oratio Deus eternorum etc. Deinde premissis solitis ut pro ut
in benedictionalibus continetur. Sequitur oratio Deus indulgentie
pater etc. Alia oratio Deus qui per coeternum etc. postea premissis
V et letania prout continetur in agendis Secuntur orationes
Respice deus propicius. Alia deus qui beatum Augustinum etc.
Alia Omnipotens sempiterne deus tuus ardor etc. Deinde sequitur
Forma Professionis forma professionis in hunc modum. Ego N. offerens
trado meipsum ad serviendum huic ecclesie et altari sancte Marie